De originibus operis Platonici, quod Phaedri nomine inscriptum est, deque tempore, ad quod illae referendae sint, etsi multum nuper a viris doctis in varias partes disputatum est, tamen nondum quisquam ad hunc usque diem extitit, qui controversiam diu agitatam ita dirimeret atque componeret, ut omnes dubitandi ambigendique caussae tandem de medio tollerentur. Et tamen ut id aliquando fiat, valde optandum est. Pendet enim ex huius rei diiudicatione plenior accuratiorque ipsius illius scripti intelligentia, quod sive rerum, quae in eo tractantur, copiam et gravitatem spectamus, sive consideramus artis et compositionis elegantiam, quae in eo plane est admirabilis, profecto longe dignissimum videri debet, ut ipsius interpretatio quantum fieri possit profligetur penitusque absolvatur. Praeterea vero etiam ex notitia temporum, quibus Phaedrus est compositus, aliud quid intelligi potest, quod ad universam Platonis rationem ac disciplinam cognoscendam iudicandamque plurimum momenti facere nemo negaverit. Illis enim diligentius exploratis certiusque constitutis etiam de via atque itinere, quod philosophus in excolenda perficiendaque doctrina sua tenuerit, deque coniunctione ac necessitudine, qua scripta ipsius inter se contineantur, tutius iudicari licebit, quandoquidem prouti de huius libri natalibus varie fuerit existimatum, ita etiam de his rebus sententiam variari plane necesse est. Itaque harum rerum disputatio utique digna visa est, quae aliquando tractaretur diligentius.

Quod quidem nos nunc ideo quoque faciendum putavimus, quia nuper ad repetitas Phaedri curas a librario invitati etiam in has quaestiones denuo delati sumus. Quocirca hac scribendi occasione ita utemur, ut quae olim breviter tantum exposuimus ac veluti significavimus, ea iam uberius explicemus argumentorumque vi ac robore certius communiamus, si forte fieri possit, ut sententiam nostram etiam iis probemus, qui adhuc in alia omnia discedere consultum duxerunt.

Sunt autem duae potissimum sententiae, quae de Phaedri ortu ac tempore natali a viris doctis feruntur, eaeque inter se fere oppositae atque contrariae, quandoquidem alii in ea sunt opinione, ut opus illud existiment iuvenilis esse ingenii fetum, quippe quod adeo omnium primum atque vivo adhuc Socrate a philosopho adolescente litteris consignatum sit; alii autem idem illud arbitrantur maturiori tribuendum esse philosophi aetati ideoque ab eo scriptum esse volunt, quo tempore ille, sicuti annis fuerit provectior, ita etiam ampliores quasdam sapientiae opes collectas habuerit. Et illa quidem ratio quemadmodum iam antiquis temporibus criticis quibusdam probata fuit, ita hodie quoque maxime pervulgata est ac plurimorum fere communis. Prodiderunt enim eam antiquitus Diogenes Laërtius et Olympiodorus. Nam hic quidem in Vita Platon. p. 78. ed. Fischer. *Ὅτι δὲ τοὺς διθυράμβους ὁ Πλάτων ἤσκητο, δῆλον ἐκ τοῦ Φαίδρου τοῦ διαλόγου, πάνυ πνέοντος τοῦ διθυραμβώδους χαρακτῆρος, ἅτε τοῦ Πλάτωνος τοῦτον πρῶτον γράψαντος διάλογον, ὡς λέγεται:* de qua viri sententia Scholiast. ad Phaedr. p. 311. ed. Bekker, *φησὶν ὁ Ὀλυμπιόδωρος ἐν τῷ εἰς τὸν πρῶτον Ἀλκιβιάδην ὑπομνήματι, ὡς πρῶτος ὁ Φαῖδρος διάλογος Πλάτωνι γέγραπται.* Ille vero Libr. III. 38. ita scribit: *Λόγον δὲ πρῶτον γράψαι αὐτὸν τὸν Φαῖδρον· καὶ γὰρ ἔχει μειρακιῶδές τι τὸ πρόβλημα. Δικαίαρχος δὲ καὶ τὸν τρόπον τῆς γραφῆς ὅλον ἐπιμέμφεται*

ὡς φορτικόν. Quod Dicaearchi iudicium, ut hoc in transcursu moneamus, repetitum est fortasse ex eius libro, qui teste Cicerone ad Attic. XII. 39. *Φαίδρου περισσά* inscriptus fuit. Recentioribus autem temporibus hanc sententiam vel exornarunt copiosius vel simpliciter assensione sua comprobaverunt viri clarissimi, Frid. Schleiermacherus Prolegg. ad Opp. Plat. Vol. I. P. I. p. 48. sqq. et Praefat. ad Phaedr. p. 65 sqq., qui hinc potissimum profectus scripta Platonis certo quodam ordine disponere et ad propriae rationis normam ordinare conatus est; Frid. Astius De Vita et Scriptis Platonis p. 111. qui simile quiddam inde efficere studuit, origines libri ad Olymp. XCIII. 2. referendas esse ratus; Aug. Boeckhius in Philolao p. 104. et Commentat. I. De reipublicae Platon. temporibus p. 8. ubi Phaedrum sibi non multo post Olymp. XCII. 2. scriptum videri profitetur; Leonh. Spengelius Synagog. Artium Scriptt. p. 124. et iterum p. 126. L. I. Rückert ad Sympos. Platon. p. 308. Phil. Guil. van Heusde Init. Philos. Platon. Vol. I. p. 138. sqq. Christian. Aug. Brandis in libro: *Geschichte der Griechisch-Römischen Philosophie* Vol. II. Part. I. p. 160. sqq. Henr. Ritter: *Geschichte der Philos.* Vol. II. p. 176. sqq., ut alios plurimos praetereamus silentio, qui rem non tam disceptarunt quam praetereundo leviter attigerunt. Sed quum ista ratio, quae etiam antiquitatis auctoritate videtur confirmata esse, plurimos sane gravissimosque adstipulatores nacta sit, tamen recentioribus temporibus item extiterunt, qui vel modestius de eius veritate dubitarent vel etiam auctoritatem eius gnaviter impugnarent. Primus id fecit, quantum sciamus, Guil. Gottl. Tennemannus System. Platon. Philos. Vol. I. p. 118. sq. Quem longo post intervallo sequutus est Iosephus Socher De Scriptis Platon. p. 300. sqq., qui Phaedrum a Platone ex primo itinere in patriam reduci facto litteris consignatum esse contendit eamque

sententiam suam argumentis perquam acute excogitatis confirmare conatus est. Atque in huius partes nos quoque olim concessimus Prolegg. ad Opp. Plat. Vol. I. p. XXXIII. sqq. et Praefat. ad Phaedr. p. XIX. sqq. Nec vero huius nos iudicii nostri nunc ullo modo poenitet, praesertim quum nobis etiam adstipulati sint viri gravissimi, Car. Frid. Hermannus Histor. Philos. Platon. Vol. I. p. 514. sqq. Gregor. Nitschius Praepar. ad Phaedr. Part. I. p. 7. sqq. I. Backius Schol. Hypomn. Vol. III. p. 37. sqq., alii, quorum auctoritatem ita reveremur, ut eam plurimis plurimorum testimoniis certe parem arbitremur. Verumtamen quum etiamnunc reperiantur, qui vim ac momentum rationum, quibus caussa nostra sustentetur, aliquando in illustriore luce collocatum cupiant, nunc horum desideriis pro viribus satisfacere conabimur. In quo versabimur sic, ut iis, quae iam alibi accuratius exposita sunt, aut omnino praetermissis aut certe brevius tractatis in illis potissimum illustrandis commoremur, quae pleniore atque subtiliore argumentorum confirmatione indigere videantur.

Erit autem universa disputatio nostra omnino bipertita. Nam primum quidem de caussis explicabimus, cur Phaedrus non iuvenile Platonis opus censeri posse videatur; qua parte disputationis nostrae etiam tempus, quo dialogus revera scriptus sit, definiemus accuratius. Altera autem parte id agemus, ut vim argumentorum pro contraria sententia allatorum nullam esse ostendamus. Quibus expositis utique futurum esse speramus, ut quid rei sit verisimiliter quidem statui atque iudicari queat.

Itaque primum quidem hoc nobis propositum est, ut demonstratione nostra efficere conemur, librum, de quo disputare instituimus, non iuvenili aetati sed maturioribus annis Platonis tribui oportere. Cuius tamen sententiae nostrae argumenta priusquam exponamus, iuvabit paucis de

re consimili quaesivisse. Nam in dialogis quum semper tempus, quo sermo habitus fingitur, probe distinguendum sit ab eo tempore, quo sunt litteris perscripti, ante omnia quaerendum videtur, ecquid de tempore sermonis in Phaedro habiti certius exquiri possit. Hoc enim explorato saltem illud lucrabimur, ut a quonam inde tempore fieri potuerit, ut liber vel scriberetur vel in publicam lucem emitteretur, compertum habeatur.

Videmur autem hanc quaestionem paucissimis posse absolvere, quandoquidem luculentissime demonstrari potest, peroratum fingi Phaedri sermonem intra Olymp. XCII. 1. et Olymp. XCIII. 3. hoc est, intra annum 412. et 406. ante aeram Christianam. De quo partim iam exposuit Astius De Vita et Scriptis Platon. p. 110. Conficitur autem res his fere argumentis. Primum Lysias identidem tamquam rhetor commemoratur Athenis longe celeberrimus. Is vero quum Olymp. XCII. 1. Thuriis, quorsum puer quindecim annorum migraverat, Athenas reversus sit, de quo infra dicetur explicatius, consequens est, ut colloquium nullo pacto ante hunc annum habitum fingi potuerit. Nisi forte putare voluerimus, rhetorem iam eo tempore fingi Athenis fuisse clarissimum, quo nondum pedem illuc retulerat; id quod profecto perquam absurdum foret. Porro p. 268. C. D. mentio Sophoclis et Euripidis sic iniicitur, ut utrumque facile appareat intelligi vivum, non mortuum. Iam vero illos constat Olymp. XCIII. 3. vel 4. diem supremum obiisse, sicuti ex iis apparet, quae disputarunt Boeckhius Graec. Tragoed. Princip. 209. atque Bodius *Gesch. d. dram. Poësie der Hellenen* Vol. I. p. 354. et 456. ann. Itaque manifestum est sermonem ante hoc tempus haberi, nec vero postea institutum putari licere. Pertinent huc etiam, quae p. 278. E. de Isocrate perscripta sunt. Ibi enim Plato Socratem facit de Isocrate, tum adolescente,

optima quaeque vaticinantem. Is vero quum Olymp. XCIV. 1. triginta tyrannis dominantibus, amissis bonis suis, Chium migraverit, ibique ludum rhetoricum aperuerit, neque proximo dehinc tempore Athenas revenisse videatur, perquam est verisimile, colloquium ante triginta tyrannorum tempora institutum haberi. Quod confirmatur etiam loco p. 257. B., ubi Polemarchi, fratris Lysiae natu maioris, mentio fit. Qui quum teste Plutarcho Vit. X. Oratt. p. 835. D. Olymp. XCIV. 1. temporibus oligarchiae supplicio affectus sit, fieri nullo pacto potuisset, ut isto modo commemoraretur, si sermo post eum annum habitus esset. His igitur testimoniis certissime efficitur, ut dialogus, sicuti diximus, intra Olymp. XCII. 1. atque XCIII. 3. habitus putari debeat. Unde etiam consequens est, ut liber post Olymp. XCIII. 3. demum litteris consignari potuerit.

At enim vero magnopere fallatur, si quis ex prosopographia ista continuo de operis ortu aliquid coniecturae capere velit. Constat enim Platonem ornatum scenicum neutiquam fecisse eum, qui temporis indicium faciat, quo libros suos commentatus sit. Imo discrepat ille saepenumero ab hoc plurimum. Itaque sicubi aliquid caussae est, quamobrem opus aliquod posteriore demum tempore compositum esse verisimiliter suspicari liceat, caveri oportet magnopere, ne ornatus scenici specie decepti veram rationem negligamus. Quod ipsum inprimis etiam de Phaedro tenendum est. Nam quum hominum, qui in eo memorantur, aetates utique suadere videantur, ut eius origines circiter ad Olymp. XCIII. 3. referamus, quemadmodum Astio, aliisque visum est, tum alia profecto plurima sunt, quae, re diligentius considerata, nos permoveant, ut illa opinione repudiata totum opus non iuvenile, sed diuturniorum studiorum fructum esse putemus adeoque illud propter singularem quandam rerum fortunam et

conditionem a Platone aetate provectiore litteris exaratum existimemus. Quod cur ita statuamus, age ordine deinceps ita exponamus, ut rem argumentorum explicatione planam facere conemur.

Et primum quidem vel ideo non est credibile Phaedrum aut omnino primum fuisse ingenii Platonici fetum aut iuvenilis operae fructum, quia alii plurimi extant philosophi libri, qui neque ad sapientiae ubertatem doctrinaeque copiam, neque ad artis, quae in eo maxima splendet, elegantiam ac venustatem ulla ex parte cum illo comparandi sunt. Etenim consideret nobis aliquis Euthyphronem, Lachetem, Lysidem, Hippiam, Charmidem, Alcibiadem, Menonem, vel etiam maioris amplitudinis dialogos, Euthydemum, Cratylum, Protagoram, eosque cum Phaedro paullisper contendat, ac facile reperiet, eos, quamvis et ipsi singulares sibi virtutes ac laudes tueantur, tamen comparationem cum Phaedro hoc in genere neutiquam sustinere posse. Quod quamquam accuratiore demum singulorum examine instituto plane intelligi poterit, tamen non a re alienum fore putamus, si nunc singula quaedam sententiae nostrae argumenta in medium attulerimus.

Ut igitur ante omnia pauca de rebus, quae tractantur, operisque materia disseramus, quantum discriminis hac in parte inter Phaedrum atque illos, quos diximus, dialogos intercedat, vel ex his, opinor, perspicietur luculentissime. Etenim Phaedrus quidem in eo argumento illustrando versatur, quod non tantum ad unam aliquam rem eamque leviorem refertur, sed pertinet potius ad universam philosophiae disciplinam. Propositum enim ipsi hoc est, sicuti alio loco docebimus, ut totius philosophiae fontes primarii demonstrentur, positi illi partim in nativo quodam animi ad divinae sapientiae cognitionem impetu, qui amoris nomine insignitur, partim in arte dialectica, cuius unius usu mentis illi desiderio satisfieri posse significatur, atque eadem opera

ostendatur, qua ratione vita communis, emendatis et perfectis rebus affinibus, amore vulgari atque rhetorica, ad philosophiae laudem virtutemque altius extolli atque evehi queat. Sublimis vero atque magnifica res, quam tamen mireris a plerisque eorum, qui in libro interpretando versati sunt, neutiquam esse animadversam. Iam vero quid illi dialogi, quos antea indicavimus? Nimirum isti quidem universam philosophiam nulla ex parte attingunt. Imo subsistunt fere in singulis singularum rerum earumque saepe exilium quaestionibus. Rimantur enim vulgares virtutum notiones ad communem hominum captum accommodate; arguunt vel rident communes quosdam temporum errores atque fraudes; fastum ac superbiam hominum vana sapientiae opinione inflatorum castigant; denique res in disceptationem vocatas non illustrant sic, ut quid verum, quid falsum sit, subtilius doceatur, sed eas huc et illuc versant, ut non tam ad earum intelligentiam perducamur, quam in dubitationem coniecti ad veri exquirendi studium excitemur. Quam quidem rationem quis est quin sponte animadvertat proxime accedere ad Socraticam disserendi simplicitatem in Xenophontis libris adumbratam et expressam, longissime profecto abhorrentem illam ab ea ratione, quam in Phaedro regnare videmus? Sed quum hic liber iam universo argumento, in quo tractando versatur, ceteris quos diximus dialogis mirum quantum antecellat, tum etiam singulorum placitorum, quae in eo illustrantur, ea ratio est, ut inde, quantum sapientiae ubertate omnes illos superet, luculentissime appareat. Attinguntur enim in eo gravissimi quique philosophiae loci, quorum vix vestigium in illis deprehendas. Nam doctrina quidem de ideis, qua tamquam fundamento quodam universae sapientiae Platonicae aedificium nititur, hic tam plena et integra extat, ut in nullo alio scripto magis. Eadem vero in illis sermonibus, quibuscum Phaedri contentio est, plane desideratur, siquidem ibi fere

de meris mentis notionibus nec vero de ideis agitur, quales philosophus, ubi ad summum penetraverat sapientiae fastigium, informasse reperitur, ut profecto hinc suspiceris, non Phaedrum, sed alteros illos sermones iuventuti vel adolescentiae philosophi adscribendos esse. Dialectica porro in eo, de quo disputamus, dialogo utique altius quiddam spectat. Refertur enim non tantum ad rimandas communes mentis notitias, verum traducitur ad ipsam vim naturamque rerum sempiternam et constantem, ideoque tamquam omnis rerum in se spectatarum cognitionis parens ac magistra praedicatur, sine cuius ope et auxilio fieri nullo modo possit, ut veri, boni et honesti per se spectati scientiam adipiscamur. De qua re quae p. 249. B. C. D. 265. D. E. 266. A. B. 276. A. sqq. 277. B. disseruntur, ea planissime conveniunt cum iis, quae in perfectae sapientiae Platonicae monumentis, Phileb. p. 15. E. sqq. 57. E. sqq. Politic. p. 285. A. sqq. Theaet. p. 167. E. 176. C. Sophist. p. 253. B—E. 254. D. sqq. De Rep. VI. p. 511. A. sqq. VII. p. 532. A. sqq. 533. B sqq. exposita leguntur. Horum vero nihil quidquam reperias in illis operibus, quae Phaedro argumenti copia et ubertate multum concedere antea iudicavimus. Enimvero in his, si quid iudicare possumus, una dominatur dialectica Socratica, quam unice versatam esse constat in explorandis mentis notionibus atque id solum spectavisse, ut singulis rebus rectius discernendis atque diiudicandis vitae usui officiorumque exercitationi consuleretur, id quod acute iudicaverunt Xenoph. Mem. IV. 6, 1. IV. 5, 11. Aristot. Metaph. I. p. 20. Diogen. Laërt. VIII. 48. Quae si recte animadvertimus, hinc quoque quid consequatur, omnibus apertum esse debet. Iam vero etiam de natura animi eiusque variis facultatibus, de eius immortalitate, de aeternae veritatis scientia et cognitione, de philosophia unice recta atque vera artium magistra, aliis similibus rebus, quae praecipiuntur, ea satis arguunt, quantum sapientiae copia et sublimitas in Phaedro expromta antecellat illorum, quos

saepe diximus, librorum ieiunitatem vel exilitatem. Nam in his omnibus, uno fere Cratylo excepto, nihil simile reperitur, quum in amplioribus operibus, quae maturioris aetatis commendationem habent, eaedem res identidem commemorentur, et vel uberius exornentur ac novis confirmentur argumentis, vel etiam denuo inculcentur. Id quod unumquemque Gorgiae, Phaedonis, Theaeteti, Philebi, Politiae, Timaei, Symposii, Legum tractatio satis edoceat. Quod certe perquam est memorabile, praesertim quum etiam Aristoteles Magn. Moral. I. 1. illam animi in varias partes vel facultates descriptionem Platoni attribuat aetate provectiori, sicuti postmodo videbimus.

Verum satis haec de materia operis, cuius vel ex iis, quae dicta sunt, tantam apparet esse praestantiam, ut ad eius amplitudinem, dignitatem, sublimitatem denique eorum, quorum antea iniecta mentio est, librorum vel simplicitas vel tenuitas ac ieiunitas nullo modo comparanda videatur. Simile quiddam vero dicendum est etiam de operis arte et compositione cum illorum hoc in genere rationibus comparata. Nam quum nullus facile reperiatur liber Platonis, qui eo nomine omnino displicere legentibus possit; tamen in Phaedro plane singularis artis laus conspicua est. Rerum descriptio longe artificiosissima, ut vel doctissimos viros sollertissimosque elegantiae iudices saepe fefellerit; singularum partium coagmentatio perquam scita ac venusta; argumenti propositi explicatio subtilis, ut, dummodo nasum habeas, facile sentias, quorsum singula pertineant; oratio, prouti ipsa rerum tractatarum natura fert, modo tenuis, modo subtilis, modo grandis et excelsa, ita ut vel μειρακιῶδες illud, quod quidam crepare sustinuerunt, non careat idonea ratione; denique omnia ac singula ita comparata, ut, dummodo recte iudicata fuerint, neutiquam ab artis legibus recedant aut ineptum quiddam ac iuvenile habeant, sed potius summi perfectissimique artificis divinum quasi quoddam ingenium referant. Iam vero quid de iis dialogis dicendum

arbitrabimur, quos antea rerum tractatarum vi et ubertate indicavimus Phaedro aliquanto esse inferiores? Enimvero sunt illi quidem item sollerter elaborati habentque suam quisque artis atque venustatis laudem. At sunt tamen iidem tenuiores, sunt simpliciores, sunt moderatiores, ut etiamsi non humi repant penitus, tamen nec animi ingeniique excelsioris indicia referant. Nimirum, ut rem paucis comprehendamus, referunt illi plane discipuli adhuc Socratis rationi addicti indolem atque consuetudinem, quantumvis etiam ingenii alacrioris atque erectioris faciant indicium, omninoque sunt tales, qui artis atque elegantiae laude Phaedro cedant plurimum, nisi forte unum Protagoram iuxta cum Euthydemo atque Cratylo excipere volueris. Quamquam hi quoque non uno nomine Phaedro sunt exiliores atque simpliciores.

Quocirca facile iam concedetur, opinor, verum esse, quod res ipsa loquitur, plurimos superstites esse Platonis dialogos, qui Phaedro nec materia et rerum tractatione nec artis laude pares habendi sint. Hoc vero quum ita sese habeat, nonne ultro fatebimur, perquam esse veridissimile, quod vulgo statuunt, Phaedrum non modo a philosopho admodum iuvene scriptum sed adeo ut librum omnium primum ab eo in lucem publicam emissum esse? Enimvero nos quidem si quid iudicare possumus, iam haec una optio data est, ut aut de fide et auctoritate illorum librorum, quos deteriores esse vidimus, dubitemus, aut Phaedrum maturioris aetatis habere commendationem existimemus. Nisi forte volueremus, id quod absurdum fuerit, statuere Platonem, posito egregio quodam philosophandi tirocinio, repente rursus a semet ipso quasi descivisse temereque relapsum esse ad deteriora. Nam quod Schleiermacherus statuit, minores illos vel etiam simpliciores dialogos maiorum librorum veluti administros esse, qui singuli singulis dilucidationis gratia veluti subseciva opera additi sint, ut illorum argumentum et con-

silium certius inde perspiceretur, est hoc profecto tam veridissimile, ut ne levissimam quidem veritatis speciem prae se ferat. Nam qui dialogi in eo numero habiti sunt, ii neutiquam ita sunt comparati natura sua, ut amplioribus operibus inde aliquid lucis affundatur, nisi si forte ita accidit, ut hic aut illic aliquas offerant sententias, quibus omnino ad rationem Platonis collustrandam utaris. Quod tamen quis est quin videat in omnes omnino convenire philosophi libros, quorum certe nullus est quin contineat aliquid, quod ad eius sententiam declarandam valeat? Id quod vel exemplo Lysidis dialogi patet, quem Schleiermacherus Vol. I. p. 176. Phaedro voluit comitem atque socium adiunctum esse. Nimirum is dialogus agit de caritate et amicitia, quum Phaedrus in divino amore, qui plane aliorsum pertinet, illustrando versetur, ut credibilius sit, quod narrat Diogen. Laërt. III. 35. dialogum istum a Platone Socratico esse litteris consignatum. Narrat enim ille haec: *φασὶ δὲ καὶ Σωκράτην ἀκούσαντα τὸν Λύσιν ἀναγιγνώσκοντος Πλάτωνος, Ἡράκλεις, εἰπεῖν, ὡς πολλά μου κατεψεύδεθ' ὁ νεανίσκος.* Nec vero aliud quid in eo docetur nisi hoc: ad ineundam iungendamque amicitiam opus esse prudentia et moderatione sine inani fastu ac superbia (p. 212. A. — 215. C.); porro ad eam colendam requiri mutuam benevolentiam ac morum similitudinem (p. 218. C. — 222. A.); denique caussam eius non tam positam esse in sensu indigentiae, quam in naturae desiderio quodam, finemque ipsius non esse alium quam hunc, ut nativum istud animi desiderium expleatur, quo alium quempiam tamquam alteram nostri partem colamus. Quae omnia profecto eo minus ad Phaedrum collustrandum aliquid faciunt, quo minus argumentis demonstrantur; disputantur enim pleraque omnia in utramque partem, ita ut magis significentur, quam afferendis caussis et rationibus confirmentur, ita quidem ut simul arguta sophistarum disserendi ratio leniter traducatur. Nec vero praeterea quidquam reperitur, quod ad Phaedri partes obscuriores aliquid

lucis transfundat. Sed redeamus aliquando ad id, unde paullisper digressi sumus. Relinquitur igitur, ut aut cum Friderico Astio plerosque illos libros, quos cum Phaedro comparavimus, pro spuriis ac suppositiciis habeamus, quippe qui, Phaedrus si fuit iuvenile Platonis opus, a philosophi doctrina et eruditione multum abhorreant, aut Phaedrum existimemus a Platone non iuvene sed viro facto litteris consignatum esse. Iam vero data optione utrum sit probabilius, haud sane difficile dictu est. Nam primum quidem dialogi illi, per se spectati, neutiquam ab ingenio Platonis alieni sunt, dummodo meminerimus, philosophum et Socratis fuisse discipulum, nec statim ut philosophari coeperat ad eam delatum esse doctrinae rationem, quam postea, amplioribus sapientiae copiis collectis, condidit et excoluit. Deinde iidem etiam haud exigua firmantur antiquitatis fide et auctoritate, quandoquidem plerosque omnes Platonis esse Aristotelis, Ciceronis, aliorum scriptorum fide dignissimorum testimoniis compertum habetur. Accedit ad haec, quod testimonia eorum scriptorum, qui Phaedrum iudicarunt primum esse omnium scriptorum Platonicorum, admodum levia et suspecta sunt, sicuti in altera parte disputationis nostrae demonstrabimus. Itaque praestat sane aliam inire viam. Nam ubi dialogos illos, de quibus dictum est, statuerimus a Platone adolescente scriptos esse, quam coniecturam etiam narratio illa de Lysidis recitatione quodammodo confirmat, Phaedrum autem putaverimus maturioris aetatis opus esse, omnes protenus evanescent difficultates ac dubitationes, quae alioquin de scriptorum Platonicorum rationibus obtineant plane necesse est. Ex quo colligimus, quod supra contendimus, recte fieri non posse ut Phaedrus a iuvene Platone scriptus existimetur, quippe qui maiorem habeat rerum ac doctrinae ubertatem maioremque artis ac rationis perfectionem, quam ut post eum alios etiam libros plurimos eosque ista doctrinae et elegantiae laude omnino carentes ab ipso litteris mandatos esse credibile sit.

Exposuimus hactenus argumentum, quo universe efficiatur, Phaedri origines ad maturiorem philosophi aetatem referri oportere. Progredimur ad alterum, unde etiam intelligatur, a quonam inde tempore fieri potuerit, ut tale opus a Platone conderetur. Extant enim in Phaedro luculentiora quaedam placitorum Pythagoricorum vestigia, unde liquido appareat, philosophum quo tempore ista scripserit iam imbutum fuisse accuratiore Pythagoricae rationis notitia. Ex quo certissime colligi licet, dialogum illum non prius litteris exaratum esse, quam post suscepta a Platone in Graeciam magnam atque Siciliam itinera, in quibus ipsum constat primum sapientiae illius tamquam sacris interioribus fuisse initiatum, hoc est post Olymp. XCVII. 4. Quod quo iure ita statuamus, accuratius paullo exposuisse iuvabit.

Quod igitur Pythagoricae rationis in Phaedro vestigia deprehendi arbitramur, quae pleniorem ac subtiliorem illius notitiam arguant, frustra id nuper negare sustinuit Fr. Schleiermacherus ad Phaedr. Interpret. Germ. Vol. I. p. 379 sqq. ed. 2. 381. sq. 383. quamvis postea adstipulatorem nactus virum doctissimum Backhuizen van der Brink Variar. Lectt. ex Histor. Philosoph. Antiq. p. 81. sqq. Contrarium enim certissimis evinci potest argumentis, sicuti etiam Aug. Boeckhius in Annal. Heidelberg. a. 1808. Fasc. I. p. 110. sqq. et in Philolao p. 104. sqq. Fr. Astius De Vita et Scriptis Platon. p. 105. sqq. et Car. Fr. Hermannus Histor. Phil. Plat. Vol. I. p. 514. coll. p. 672. iudicaverunt. In quo tamen diligenter tenendum arbitramur, quod facile aliquem in fraudem inducat, philosophum plerumque placitis Pythagoricis hac lege et moderatione usum esse, ut, sicubi res ita ferret, neutiquam ea fideliter servaverit quae sumsit mutua, sed potius omnia suo modo mutata vel exornata ad suam disciplinae rationem traduxerit et accommodaverit. Iuvabit, opinor, hic attulisse potiora, quae a Pythagoreis ducta esse iure contendere liceat; qua ratione simul iis, quae diximus, fidem faciemus.

Quamquam hunc locum breviter tantum perstringemus, uberiore eius dilucidatione in aliud tempus reiecta. Itaque primum quidem huc referimus illud, quod miramur sane a viris doctissimis plane neglectum esse, quod divini amoris cultus refertur ad amorem adolescentium insigniore quadam ad philosophandum indole praeditorum, sicuti fit p. 246—256. Etenim in his philosophus sine dubio ob oculos habuit Pythagoreorum exemplum, qui semet ipsos mutuo inter se amore prosequebantur, quo alter alterum ad virtutem ac sapientiam incitarent atque impellerent. Itaque informavit ille ad quotidianorum amorum, quales in Graecia vigebant, similitudinem etiam mutuam philosophantium caritatem et amicitiam, qualem ab eo verisimile est accuratius fuisse cognitam, quo tempore Graeciae magnae mores et instituta lustravit atque adeo cum Pythagoreis arctiorem quamdam iniit familiaritatem ac necessitudinem. Sed praeter istud institutum Pythagoreorum in Phaedro etiam decreta quaedam atque placita reperiuntur, quae auctorum locupletissimorum testimonio ex eorum doctrina tamquam fonte primario manaverunt. Nam argumentum aeternitatis animorum p. 245. C.—246 A. explicatum inde repetitum esse liquido testantur Cicero Tusc. I. 16. et Aristot. De anima I. 2. de quo v. Davis. ad Tusc. I. 12. Rittershus. ad Porphyr. De Vit. Pythag. p. 22. sqq. Clem. Al. strom. VI. p. 752. II. ed. Potter. Atque idem statuendum de animi in tres partes descriptione, qualis exhibetur p. 246. A. sqq. Eam enim a Pythagoreis celebratam fuisse iuxta cum Cicerone Tuscul. IV. 5. ubi v. Davisius, confirmant etiam Diogen. Laërt. III. 30—32. Hierocles ad Pythagor. Carm. Aur. v. 69. p. 290. ed. Paris. Et conf. etiam quae Prolegg. ad Timaeum p. 53. de hac re explicavimus. Atque eandem etiam ab Aristotele Magn. Mor. I. 1. Platoni, non Socrati, hoc est non Platoni Socratico, sed Platoni sui iuris quasi facto, vindicari iam antea significavimus. Is enim ea de re scribit haec: *μετὰ δε ταῦτα Πλάτων δι-*

εἵλετο τὴν ψυχὴν εἴς τε τὸ λόγον ἔχον καὶ εἰς τὸ ἄλογον ὀρθῶς, καὶ ἀπέδωκεν ἑκάστῳ ἀρετὰς προσηκούσας: ubi quod *τὸ ἄλογον* vocatur, id duplicem *τοῦ θυμικοῦ καὶ ἐπιθυμητικοῦ* vim naturamque complectitur, sicuti ex iis apparebit, quae scripsimus ad Remp. IV. p. 439. D. Porro Pythagoricum quiddam redolent illa, quae p. 246. D. — 249. D. de vita animorum olim una cum diis acta ita exponuntur, ut multa velata sint allegoriae integumentis. Quod quo iure ita statuamus, satis docebunt illa Ciceronis De Senect. c. 21. *audiebam Pythagoram Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse, quin ex universa divina mente delibatos animos haberemus.* De Nat. Deor. I. 11. *Pythagoras censuit* (deum) *animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo animi nostri carperentur;* ubi plura intpp. Nimirum mutavit Plato Pythagoreorum sententiam paullulum mutatamque suae ipsius rationi ac disciplinae accommodavit. Nec vero illa quisquam abhorrere a Pythagoreorum ratione censebit, quae p. 249. sqq. satis copiose de lapsu et migrationibus animorum disseruntur. Ea enim decreta nemo est quin sciat illorum scholae admodum fuisse familiaria. Ac vide etiam Menag. ad Diog. Laërt. VIII. 5. 11. intpp. ad Herodot. II. 123. Rittershus. ad Porphyr. Vit. Pythag. §. 19. Praeterea nec dubitamus huc revocare cum Astio locum p. 274. A., ubi orator de rhetorica disputans: *Non enim*, inquit, *sicuti viri nobis sapientiores aiunt, sapientem decet id meditari ac studere, ut iis, qui una cum ipso in servitute vivunt, gratificetur, nisi quatenus id fiat per occasionem, sed ut dominis iisque bonis placeat.* Nam eandem sententiam deprehendimus Phaedon. p. 62. B. 63. A. B. C. 85. C. ubi manifesta sunt rationis Pythagoricae vestigia. Atque indidem etiam intelligitur, quinam dicantur *οἱ σοφώτεροι ἡμῶν*, ad quorum auctoritatem provocatur. Nimirum manifestum est intelligi Pytha-

goreos. Nec vero silentio praetereunda sunt, quae p. 275. B. sqq. fusius disputantur eo consilio, ut melius esse appareat viva vocis institutione aliis prodesse quam librorum scriptorum publicatione. Quae certe egregie concinunt cum institutis scholae Pythagoricae, de quibus Plutarchus Num. p. 74. C. = p. 121. ed. Schaefer. *ἐκέλευσε τὰς ἱερὰς βίβλους συνταφῆναι μετὰ τοῦ σώματος· ᾧ λογισμῷ φασι μηδὲ τοὺς Πυθαγορικοὺς εἰς γραφὴν κατατίθεσθαι τὰ συντάγματα, μνήνην δὲ καὶ παίδευσιν αὐτῶν ἄγραφον ἐμποιεῖν τοῖς ἀξίοις.* Atque his accedunt denique etiam astronomica quaedam, quae etsi ex variis variorum opinionibus ac decretis mixta sunt atque in unum conflata, tamen item sapientiae Pythagoricae speciem satis aperte prae se ferunt. Cuius generis unum saltem locum tractare placet utpote nondum satis ab interpretibus dilucidatum. Est is p. 247. sqq., ubi exhibetur coeli atque universi huius mundi quaedam imago. Fingit ibi philosophus hoc universum inclusum undique teneri orbe tamquam extimo quodam. Super illo extare vult rerum divinarum species, hoc est ideas, ad quas contemplandas dii curribus alatis evehantur tamquam ad epulas quasdam, subsequentibus animis celsiorem istum volatum item pro virili tentantibus. Intra ipsum autem collocat terram pariter atque deorum sedem, Vestae custodiae commissam, ex qua sede isti agmine fasto ordine deinceps coelum versus evehuntur, in quo itinere animi deteriores et rerum divinarum studio fatiscentes denique delabuntur in terram, vitam mortalem ingressuri. Difficilis semper hic locus ad interpretandum visus est, neque profecto immerito. Sed evanescunt nostra sententia protenus difficultates, ubi animadversum fuerit, populares de mundi figura ac specie opiniones insigni quadam arte commixtas esse atque conflatas cum placitis philosophorum, inprimis Pythagoreorum, qui rem intellectu difficiliorem illustrare conati erant. Enimvero coelum philosophus fin-

xit cavum et arcuatum, quod undique terram in medio universi sitam cingeret ac circumdaret. In quo etsi tenuit vulgarem magnae multitudinis opinionem etiam a poetis celebratam, tamen item aliud quid sequutus est. Nam orbis coelestis, quem statuit, neutiquam est aheneus, ut dii coacti sint una cum reliquis animis per foramen aliquod sursum emergere; imo informatur ille tamquam terminus quidam extimus liquidi aetheris finibus effectus, unde exordiatur regionis supermundialis, ut cum Tertulliano loquamur, amoenitas, quae quidem regio non iam corpora inclusa tenet, sed species rerum aeternas, constantes atque omni materiae concretione liberas (*τὰ ὄντως ὄντα, τὰ εἴδη, τὰς ἰδέας*) complectitur. Quae scita est observatio Buttmanni in Epimetro ad Phaedr. p. 383. sq. ed. Heindorf. sec. Itaque extimus hic mundi terminus nihil est aliud nisi liquidi aetheris extremitas. Cuius exterior superficies p. 247. B. aptissime vocatur *τὸ τοῦ οὐρανοῦ νῶτον*, quod eodem modo dictum est, quo apud Homerum aliosque *νῶτα θαλάσσης, νῶτα ποντίας ἁλός, νῶτα πόντου, νῶτα αἰθέρος*, de quo loquendi genere consulendus est Pierson. ad Moer. p. 268.; interior autem pars appellatur *ἀψίς*, *testudo*, *fornix*, *arcus*, utpote propter orbicularem coeli formam in arcum concavata. Nimirum in his fingendis exornandisque Plato ob oculos habuit sine dubio philosophos Eleaticos et Pythagoricos, qui duplicem statuerunt mundum, alterum adspectabilem, alterum intelligibilem, veluti Parmenides, Empedocles, alii, de quibus dixerunt Sim. Karsten De Parmenid. Reliquiis p. 204. sqq. itemque De Empedoclis Reliquiis p. 369. et 417. sqq. et Sturzius De Empedocle p. 277. et p. 280. sqq. Iam vero totius universi fabricam, si quaeris, qua ratione effinxerit, fecit hoc manifesto decretis Philolai convenienter, qui quid de ea senserit, ex fragmento quodam apud Stobaeum Eclogg. Phys. I. 23, 1. p. 488. in-

telligitur, quod doctissime illustravit Boeckhius in libro cognomine p. 94. sqq., quem consulas inprimis p. 107. sq. Nimirum statuit ille primum superiores quasdam mundi regiones, ubi divina sint omnia ipsique dii habitent, quas regiones ὀλύμπου nomine appellavit. A quibus distinxit τὸν κόσμον atque τὸν οὐρανόν, quorum alterum voluit corpora mundana complecti, alterum autem, hoc est τὸν οὐρανόν, inferiores rerum mutabilium regiones continere. His igitur usus Plato mundum intelligibilem parem fecit Olympo Philolai Pythagorei, ita tamen, ut callidissimo artificio accommodate ad suam ipsius doctrinae rationem aeternas rerum species in illis regionibus collocaverit. Atque etiam in reliquis manifesta extant Pythagoricae astronomiae vestigia. Etsi enim non assentior Boeckhio De Platonico systemate coelestium globorum p. XXII. sqq. et Philolao p. 105. sq. neganti a Platone in Phaedro quoque, sicuti in Timaeo p. 40. B. et Phaedone p. 108. E. factum est, terram in medio universo collocatam esse, quia nimirum Vestae domus, quam philosophus memoraverit, secundum Philolaum tamquam ignis mundi centralis in media mundi parte fuerit ponenda; nihilominus tamen in his quoque agnoscimus Pythagoricae rationis documenta. Enimvero servavit philosophus utique domum deorum atque Vestae focum, sed collocavit illam paullo aliter quam e ratione Philolai fieri debuerat. Quippe commiscuit, si quid iudicare possumus, hic quoque popularem opinionem, secundum quam terra media sub orbe coeli sita putabatur, ita quidem, ut infra eam existimarentur esse loca subterranea et supra orbis coelestis in arcum concavatus, hanc igitur opinionem conflavit cum sua ipsius ratione. Nihilominus autem retinuit Pythagoreorum Ἑστίαν τοῦ παντὸς, eandemque Διὸς φυλακήν, de qua v. Fragm. Philolai ap. Boeckhium p. 94. Quam quidem locavit in terrae vicinia non sine verisimilitudinis specie, quandoquidem poëtae quoque inprimisque Homerus

Olympum, deorum sedem, terrae propinquum finxerant adeoque ipsos deos iusserant hominibus habitare vicinos; de qua re exposuit Iul. Henr. Vossius in libro: Kritische Wälder Vol. II. p. 199 — 204. Itaque in his quoque, quamvis diversis in unum conflatis, tamen minime videntur Philolaica decreta neglecta esse.

Verum satis haec de vestigiis doctrinae Pythagoricae eiusque subtilioris ac reconditioris in Phaedro conspicuis. Ea vero quum satis multa atque certa extare videantur, nos quidem minime dubium esse iudicamus, quin inde rectissime coniiciatur, librum post tempus itinerum in Italiam susceptorum a Platone litteris esse consignatum. Narrant enim scriptores fide dignissimi, philosophum provectiore demum aetate susceptis Olymp. XCVII. 4. in Siciliam et Italiam inferiorem itineribus Pythagoreorum rationem ac disciplinam plenius accuratiusque didicisse. De qua re audias Ciceron. De Fin. V. 29. *Cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros ac coelestia acciperet? cur post Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos Pythagoreos, ut, quum Socratem expressisset* (h. e. quum antea plane fuisset Socraticus), *adiungeret Pythagoreorum disciplinam, eaque, quae Socrates repudiabat,* (quippe omnia referens ille ad virtutis exercitationem atque vitae usum), *addisceret?* Quo loco nihil profecto clarius est atque luculentius. Idem Cicero Tusc. IV. 19. similiter: *Ultimas terras lustrasse Pythagoram, Democritum, Platonem accepimus; ubi enim quid esset, quod disci posset, eo veniendum putarunt.* De Republ. I. 10. p. 48. ed. Moser. *Sed audisse te credo Platonem, Socrate mortuo, primum in Aegyptum discendi caussa, post in Italiam et Siciliam contendisse, ut Pythagorae inventa perdisceret, eumque et cum Archyta Tarentino et cum Timaeo Locro multum fuisse, et Phi-*

lolai commentarios esse nactum; quumque eo tempore in his locis Pythagorae nomen vigeret, illum se et hominibus Pythagoreis et studiis illis dedisse. Itaque quum Socratem unice dilexisset, eique omnia tribuere voluisset, leporem Socraticum subtilitatemque sermonis cum obscuritate Pythagorae et cum illa plurimarum artium gravitate contexuit. Quae Ciceronis testimonia fere ob oculos habuisse videntur Valer. Maxim. VIII. 7. ext. 3. Hieronym. contra Rufin. III. 40. et Epist. LIII. 1. Augustinus De Civit. Dei VIII. 4. et contra Academ. III. 37. quippe rem prope iisdem verbis narrantes. Animadvertendum vero in his inprimis illud est, quod Cicero narrat Platonem illo ipso tempore sibi comparavisse Philolai commentarios. Quae narratio etsi ab aliis nonnihil variatur, quandoquidem de modo et ratione, quo eos acceperit, non eadem traduntur ab omnibus, sicuti docebit comparatio eorum, quae scribunt Diagen. Laërt. VIII. 15. et 85. Iamblich. Vit. Pythagor. 31. p. 172. Gellius N. A. III. 17. Tzetzes Chiliad. X. 792. sqq. XI. 38. sqq., tamen non de nihilo hausta videtur, sicuti visum est Meinersio Histor. Art. et Litter. vet. Graec. Vol. I. p. 595. ann. coll. p. 550. 551. ann. et 598. atque Boeckhio in Philolao p. 19. sqq. Consentit enim ea plane cum studiorum ratione tunc a Platone instituta; neque ullo modo veridissimilis est ideo, quia longe est verisimillimum, Philolaum, quo tempore Plato Italiam ac Siciliam lustravit, iam fato fuisse defunctum; id quod Boeckhius quoque l. c. p. 21. statuit; id ipsum enim Cicero satis aperte significavit universe scribens, Platonem *Philolai commentarios nactum esse.* Accedit quod in scriptis Platonis, inprimisque etiam in Timaeo, Philolaicae rationis satis manifesta deprehenduntur vestigia, qualia in iis operibus, quae ab ipso iuniore scripta esse coniicere liceat, omnino non expressa cernuntur. Sed haec

utcumque sese habent, illud quidem certe pro explorato et indubio haberi oportet, quod etiam Apuleius De Dogm. Plat. I. 1. p. 186. ed. Boscha. Diogen. Laërt. III. 5. 6., alii, de quibus exposuit Menagius ad Diog. p. 139. unanimi consensione testantur, Platonem inde ab eo demum tempore, quo per itineris in Siciliam suscepti opportunitatem Pythagoreorum sapientiam largius hauserat, cum Socratica elegantia et subtilitate etiam Pythagoreorum gravitatem coniunxisse eaque ratione doctrinam suam amplificasse atque consummavisse. Nam quod Boeckhius Philol. p. 104. sqq. ex loco Plat. Phaedon. p. 61. D. collegit, fieri potuisse, ut Plato iam adolescens philosophiae Pythagoricae notitiam per Philolaum olim Thebis commoratum acceperit, est haec coniectura, ut videtur, vana et inanis. Nam primum quidem ea repugnat quodammodo historiae testimoniis modo a nobis in medium allatis. Deinde ea nulla plane veteris alicuius scriptoris confirmatur auctoritate, quae certe non defutura esset, si veteribus aliquid ea de re suboluisset. Denique ne munitur quidem satis firmiter loco Platonis, quippe qui alia omnia testari videatur. Quod enim ibi moriens Socrates Cebetem ac Simmiam, Thebanos, interrogat, audiverintne aliquid a Philolao, utpote Thebis versato, de morte voluntaria, illi autem respondent, istum quidem hoc mortis genus omnino improbasse, nec tamen satis clare ac perspicue ea de re disputavisse, fatentur illi profecto, scholas Pythagorei celeberrimi sibi ad accuratam veritatis intelligentiam parum profuisse. Unde quis est qui colligat Philolai doctrinam tum multum iam celebrari coeptam aut aliquid de ea scriptitatum fuisse? Accedit vero, quod Socrates ipse apud Platonem claris verbis negat sapientis doctrinam sibi innotuisse. Quibus verbis Plato videtur indicare voluisse, Socrate vivo omnino nullam dum rationis Philolaicae notitiam Athenas perlatam fuisse. Nimirum, ut dicamus quod res est, usus

est Plato ibi artificio callidissimo, quo veluti per transennas ostendit, quid de disputatione Socrati tributa sentiendum sit. Cui quum non pauca assignaverit, quae ex doctrinae Pythagoricae fontibus ducta sunt, illo loco sibi faciendum putavit, ut ea aliquo modo significaret non iam ipsi Socrate cognita fuisse, sed a semet ipso inde repetita esse et per dialogi opportunitatem huic ascripta. Quae ipsa caussa eum etiam impulisse videtur, ut non modo Simmiam et Cebetem, utpote ad percipiendam illorum inventorum subtilitatem satis institutos, cum Socrate colloquentes induxerit, sed etiam Echecratem Phliasium fecerit ex Phaedone quaerentem, quidnam sit, quod vir sapientissimus ultimo vitae die cum amicis et familiaribus sit collocutus. Nam Phliunti urbi cum Pythagoreis aliquid intercessit necessitudinis vel ideo, quia teste Pausania II. 14. Pythagorae proavus Hippasus, Phliasius, Phliunte Samum migraverat. v. Wyttenbach. ad Phaedon. p. 112. = 123. ed. Lips. Itaque apertum est, locum Phaedonis neutiquam eo valere, ut sapientiam Pythagoreorum iam ante Socratis obitum Athenis divulgatam fuisse probabiliter suspicari liceat. Imo potius fide digna sunt Ciceronis aliorumque testimonia, quibus Platonem quidem postea demum per itineris in Italiam ac Siciliam suscepti opportunitatem accuratiorem eius notitiam accepisse clarissime edocemur. Quod si verum est, novo iam argumento constabit, quid de tempore, in quod cadant Phaedri origines, existimari oporteat. Is enim liber quum non pauca habeat, quae ducta sunt ex Pythagoricae inprimisque Philolaicae sapientiae fontibus, non modo non a Platone vix viginti annorum iuvene scriptus est, sed nec potuit ante Olymp. XCVII. 4. quo tempore philosophus primum iter in Siciliam suscepit, litteris consignari. Quam quidem rationem adiuvat ac sustentat etiam illud, quod bis in eo iniicitur mentio rerum Aegyptiacarum, quandoquidem p. 274. in. Thamus, rex Aegypti, commemoratur, de quo

etiam Phileb. p. 18. B. aliquid memoriae proditum est, atque p. 257. D. affertur proverbium γλυκὺς ἀγκών, quod ad quemdam Nili cubitum refertur. Enimvero haesit philosopho quo tempore librum exaravit recens in animo memoria rerum in Aegypto animadversarum. Quamobrem data opportunitate memoravit quaedam, quae ad rem praesentem aliquo modo facere viderentur, eoque ipso tempus scripti sermonis quodammodo significavit.

Verum mittamus istud. Progredimur potius ad tertium quiddam, unde Phaedri temporibus et originibus aliquid lucis accedat, confutetur-que tandem penitus eorum sententia, qui librum pro iuvenili Platonis opere haberi voluerunt. Reperiuntur enim in eo evidentissima signa et indicia, unde non tantum suspicari sed propemodum certo perspicere liceat, scriptum eum esse, quo tempore philosophus ex primo in Siciliam itinere redux factus philosophiam in Academia docere animum induxerat atque munus sapientiae more modoque Pythagoreorum viva vocis institutione propagandae in se suscipere decreverat. Quam quidem sententiam quum ex parte tantum defenderit Socherus De Scriptis Platonis p. 300. sqq. neque nos olim copiosius exposuerimus, noluimus nunc committere, ut re iusto brevius tractata novis rursus dubitationibus locus relinqueretur. Quocirca hanc disputationis partem ita iam profligare conabimur, ut quidquid ad eam illustrandam confirmandamque valeat, id in medium afferamus; qua ratione tandem futurum esse sperare licet, ut non pauca, quae adhuc permanserint obscuriora, aliquando desideratam lucem accipiant.

Et illud quidem satis certo constare arbitramur, Platonem post diuturniora itinera, inter quae complures terras lustraverat, in patriam reversum esse Olymp. XCVIII. in. De qua re satis explicavimus testimoniis scriptorum allatis in Prolegg. ad Politicum p. 42. sqq. Minus

certo exploratum habetur, quando philosophiae in Academia docendae provinciam in se susceperit. Quamquam nos si quid iudicare possumus, statim post reditum in patriam id ab eo factum videtur, aut saltem rei consilium hoc tempore captum. Nam primum quidem Eusebius in Chronico ipsum scribit Olymp. XCVII. 4. pro philosopho agnosci coeptum esse; de quo videndus est Clinton Tabul. Chronol. p. 107. ed. Krüger. Quod probabiliter sane retuleris ad illud tempus, quo Athenas redux factus doctrina et eruditione sua magis inclarescere coepit atque scholis habendis civibus suis patefecit, quousque in condenda sapientiae disciplina processisset. Quocirca inde ab illo ipso tempore, quoniam non iam amplius Socratis legere vestigia visus est, haberi coepit pro philosopho, quippe qui suam atque propriam sibi disciplinam et excogitavisset et cum aliis communicare instituisset. Deinde apud Diogen. Laërt. III. 20. narratur Annicerim pecuniae summam, qua eum a captivitate redemisset, quum sibi reddita esset, generose in id impendisse, ut Academiae hortulos emeret, in quibus Platonem primum philosophiam tradidisse compertum habemus; de qua re legas etiam Diog. Laërt. III. 9. *ἐπανελθὼν δὲ εἰς Ἀθήνας διέτριβεν ἐν Ἀκαδημίᾳ, κ. τ. λ.* Quod quis est qui sibi persuadeat longiore demum tempore post Platonis adventum elapso ita factum esse? Denique etiam Plutarchus Vit. Dion. c. XVII. audiendus est, quo loco philosophus narratur post reditum ex Sicilia Dionem apud se in Academia detinuisse et ad philosophiae studium convertisse. Scribit enim haec: *ταῦτ' ἐπειρᾶτο ποιεῖν Πλάτων, καὶ Δίωνα τρέψας εἰς φιλοσοφίαν ἐν Ἀκαδημίᾳ συνεῖχεν.* Quocirca certum et exploratum esse putamus, Platonem statim post reditum in patriam id agitasse consilii, ut quas in itineribus suis collegisset sapientiae copias, eas in scholis explicaret et cum hominibus philosophiae amantibus communicaret. Haec ipsa vero tempora arbitramur esse, quibus Phaedrus ab eo litteris mandatus sit; eiusque sententiae nostrae, nuper etiam a

viris praestantissimis, Nitschio, Hermanno, aliis, probatae, caussas et rationes longe gravissimas ex universa disputatione in hoc opere explicata repeti posse nobis plane persuasimus. Quae quales sint, deinceps ita exponere iuvabit, ut eadem opera etiam locis quibusdam adhuc obscurioribus aliquid lucis admoveatur.

Itaque primum quidem philosopho sapientiae docendae munus et officium in se suscepturo quid tandem magis curae cordique esse debuisse consentaneum est, quam ut doctrinae suae initia ac principia palam faceret, publiceque ostenderet, quorsum denique studia et consilia sua omnia referrentur? Nimirum Platoni quidem id tanto magis fuit necessarium, quod non modo diutius a patria afuerat, verum etiam rem plane novam et insolitam moliebatur. Illud ipsum vero, si quid iudicare possumus, Phaedro edendo perfecit, in quo opere, sicuti iam supra significavimus, principales philosophiae suae caussas atque fontes demonstravit, adeoque omnem eius ambitum ita descripsit, ut gravissimos quosque locos egregie adumbraverit atque illustraverit. Quid igitur? nonne vel hinc recte colligere licebit, Phaedri scriptionem arctissime cohaerere cum philosophiae docendae consilio, quod philosophus in patriam reversus aut iam exsequi et perficere aut saltem animo et mente agitare coeperat?

Verum accedit ad hoc etiam aliud quid, quod tali rerum conditioni vel maxime est conveniens. Plato enim praeterquam quod in Phaedri opere omnem philosophiae vim rationemque descripsit ac patefecit, manifesto etiam illud egit studiosissime, ut, quid quantumque esset philosophiam *docere*, a civibus suis clarius intelligeretur. Quocirca extremo dialogo inde a p. 257. B. rem instituit sic, ut quantum illud aliis docendi generibus antecelleret, ab omnibus posset animadverti et iudicari. Nam quemadmodum celso illi divinae pulcritudinis amori tamquam e regione posuit veluti *ἀντίστροφον* quiddam amorem divinioris studii expertem et ad vulgarem usum et consuetudinem attemperatum, ex cuius com-

paratione illius virtus et praestantia quam certissime cognosceretur; ita verae germanaeque philosophandi arti, hoc est dialecticae, iuxta apposuit artem oratoriam cum sophistica cognatam atque coniunctam, quam quidem ostendit vera rectaque docendi ratione omnino esse destitutam ac sine philosophiae ope et auxilio nihil quidquam posse nihilque pretii habere. Quod quidem quam scite eleganterque fecerit ea rerum conditione, qua nos putamus librum esse compositum, facile intelligitur, ac tanto facilius erit ad intelligendum, ubi meminerimus, eloquentiae studia illa aetate Athenis inprimis viguisse, ita ut prae iis philosophiae disciplina propemodum contemtui habita sit. Sed istud quidem in praesenti mittamus, de quo postea pluribus dicendi occasio erit. Progredimur ad tertium quiddam, quod ad nostram sententiam confirmandam plurimum valere videtur.

Etenim philosophus non modo philosophiam cum rhetorica composuit et quanta huius ad illius virtutem comparatae vanitas sit et exilitas acute demonstravit, verum etiam scribendi consuetudini, quae adeo invaluerat, ut tamquam sapientiae vicaria haberetur, opposuit vivae vocis institutionem, qua veri, boni et honesti scientia et cognitio in animis audientium excitetur, alatur, confirmetur. Etenim mutam istam scriptionis sapientiam p. 274. A. sqq. copiosissime docet ad erudiendos animos parum habere utilitatis, neque ullo modo id efficere, ut in mentibus discentium veri germanique sapientiae fetus procreentur, quales rerum divinarum amore in iis existant plane necesse sit. Ponamus vero Platonem ista scripsisse, quo tempore primum libri alicuius scribendi aut in publicum emittendi consilium ceperit, nonne eum continuo absurde fecisse iudicare cogemur? Nimirum ista quidem conditione philosophus secum ipso mire pugnavisset, quandoquidem et reprehendisset librorum scriptionem acerbius, et tamen eandem factitare instituisset; quod profecto foret non prudentis aut bene sani hominis, sed potius insani ac furiosi. Ac sensit hanc difficultatem etiam Schleiermacherus, qui eam ita tollere ac removere conatus

est, ut p. 274. B. statuat nihil aliud significari nisi discrimen scriptionis orationum atque dialogorum eorum, qui sunt de philosophia. Atqui ista quidem loci interpretatio dubitari nullo modo potest quin a vero longissime abhorreat. Considerantibus enim nobis vel levi animi attentione ea, quae inde a p. 275. A. disseruntur, nisi male argutari velimus, certe manifestum esse debet disputari ibi neutiquam de una orationum scriptione, sed omnino sermonem institui de librorum cuiusvis generis scribendorum opera atque adeo scriptionem et vivae vocis institutionem inter se opponi. Quid igitur? huius difficultatis expediendae quaenam tandem nobis suppetit ratio? Nimirum haec una, opinor, ut Platonem statuamus ista scripsisse, quo tempore scholam in Academia aut modo aperuerat aut aperire apud animum constituerat. Illo enim tempore philosophiae institutioni, qualem meditabatur, opportune sane tantum tribuit, ut prae ea recte librorum scribendorum artem rationemque admodum contemnendam ac vilipendendam arbitratus sit. Quod quidem iudicium ipsius non adeo mirabile videbitur, ubi duarum rerum fuerimus bene memores. Etenim primum quidem meminisse iuvabit, de quo post Brandisium in Diatrib. de perditis Aristotelis libris de ideis et de bon. sive philosophia. Bonn. 1823. 8. atque Trendelenburgiam in libro Platonis de ideis et numeris doctrina ex Aristotele illustrata. Lips. 1826. 8. copiosius explicare non opus est, Platonem in scholis suis ita esse versatum, ut gravissimos philosophiae locos ad principia sua revocare studuerit atque singula tractaverit accuratius et subtilius. Quae ipsa caussa est, cur recte contendere et asseverare liceat, totam eius doctrinam eatenus certe in scriptis ipsius haudquaquam comprehendi, quatenus in his summa eius principia vix significantur, nedum ut dilucide illuminentur. Itaque philosophus quae in Phaedro de pretio scriptioni atque vivae institutioni statuendo commentatus est, ea ita scripsit, ut inprimis ob oculos habuerit scholas suas acroamaticas, quas verisimile est ita fuisse comparatas, ut quum saepe

in iis continua uteretur oratione, tamen item disceptationibus familiarium locus concederetur, iisque mutam istam et ad omnia conticescentem scriptorum librorum sapientiam opposuerit. Sed praeterea etiam aliud quid est, unde iudicii illius rationem perspicere liceat. Videtur enim Plato, quamvis omnino scribendi arti minus tribuat, tamen data opportunitate significare voluisse, cur usum dialogorum, a Socrate scilicet acceptum, usque servavisset et in scriptis suis retinuisset. Est enim dialogus familiaris sermonis quasi quaedam imitatio, ita ut proxime ad illius laudes virtutesque accedere existimandus sit. Refert enim ille quam maxime nativam istam germanamque dialecticam, qua in animis hominum sicuti est in Phaedro p. 276. pulcri sapientesque sermones inscribuntur, habetque cum viva disputatione tanto maiorem cognationem et similitudinem, quod ipso Platone iudice Sophist. p. 263. E. etiam cogitatio nihil aliud est, quam animi secum ipso intus cum silentio colloquium. Itaque philosophus quum iudicium illud expromsit, simul etiam voluit excusare ac defendere dialogorum suorum rationem. Quamquam scite eleganterque simul etiam illud significavit, ne hos quidem vivae oris institutioni plane aequiparandos esse. Quod ipsum quonam tandem alio tempore potuit opportunius declarare, quam quo scholas aperuit, quibus audientes interioribus philosophiae sacris initiarentur? Quemadmodum igitur divinarum rerum amori amor vulgaris, atque germanae dialecticae et philosophiae usitata dialectica opponitur, ita ut illi ἐπιστήμην, huic autem unam δόξαν, *opinionem*, propositam esse appareat, ita etiam vivae oris institutioni ad sapientiae studium comparatae librorum scribendorum studium, etiam tum admodum pervulgatum — certe librorum lectionem mirum quantum celebratam fuisse constat — e regione ponitur, ita quidem, ut illa demum *scientiam* efficere posse iudicetur, hoc autem dicatur μαθηταῖς σοφίας δόξαν ingenerare, adeoque homines δοξοσόφους ἀντὶ σοφῶν reddere, sicuti legimus p., 275. A. sqq. qui totus locus de hac re

conferendus est. Nimirum omnino quidem sic statuendum videtur: voluit philosophus literaturam non sapientiae magistram esse, sed studiorum adiutricem, idque non modo de orationibus, verum etiam de omni scriptorum genere ita iudicavit; libros autem, qui sunt de philosophia, ita scribendos esse censuit, ut quam proxime ad vivi sermonis exemplum accederent ideoque huius laudes quantum fieri posset aemularentur.

Atque haec quidem universe de caussis et rationibus, quibus permoti antea iudicavimus, ex ipso Phaedri argumento verisimiliter coniici licere, scriptionem operis in illa tempora incidere, quibus philosophus, superatis itinerum diuturniorum molestiis, Athenis aliquando scholas in Academia habere constituit. Coniuncta vero cum his etiam alia sunt, quae sententiam nostram non mediocriter confirmare videantur. Quorsum ante omnia pertinet quod ex ea, quam statuimus, temporum ratione etiam illa idoneam habent explicationem, quae p. 227. sqq. et 278. E. sqq. de Lysia tamquam rhetore et orationum panegyricarum scriptore deque Isocrate ipsius aemulo exponuntur. Ad quae dilucidanda iam aliquando accedere licebit.

Ordiendum vero hic a considerandis rebus et fortuna Lysiae est. Is igitur natus est Syracusis aut Athenis (v. Cicer. Brut. c. 16.) Olymp. LXXX. 2. hoc est anno 459. s. 458. ante aerae Christianae initium; v. Clinton. Fast. Hell. T. II. p. 45. Defuncto Cephalo patre, cuius mentio quum alibi apud Platonem tum etiam Phaedr. p. 263. D. iniecta est, puerulus quindecim annorum una cum fratre Polemarcho, qui item memoratur Phaedr. p. 257. B., in coloniam commigravit Thurios, ut paternam ibi adiret haereditatem, quandoquidem Cephalus, ut coniicere licet, locatam illic bonorum portionem filiis capessendam reliquerat. Id quod factum est Olymp. LXXXIV. 1.; v. Hermann. De Reipubl. Plat. temporibus p. 9. sq. et Boeckh. Indic. Lectt. per semestre aestiv. a. 1839. p. 8. Ex quo tempore videtur Thuriis remansisse vel etiam vixisse

Syracusis usque ad Olymp. XCII. 1., quo anno Athenas rediit, ad aetatem quadraginta annorum provectus; v. Hoelscher De vita Lysiae p. 19. sq. et quos ille laudavit. Quum vero in Italia et Sicilia rhetoricae dedisset operam, Athenis mox nominis celebritatem adeptus est eo, quod scripsit orationes tam iudiciales quam sophisticas et panegyricas. Invaluerat enim tum in nobilissima civitate hic mos, ut scriptae orationes vel cum aliis communicarentur, quibus, si vellent, in caussis suis uterentur, vel ad doctrinae et eruditionis laudem consequendam publicarentur. Et sophisticas quidem vel panegyricas orationes primus fertur dedisse foras Gorgias Leontinus, de quo dixit Vossius De rhetor. natur. et constitut. p. 335. Forenses autem orationes princeps vel publicavit vel accepta mercede aliis vendidit Antiphon Rhamnusius; quamquam hic ne sophisticum quidem dicendi genus sprevit, sed duplici scribendi munere suscepto item Gorgiae laudes aemulatus est; v. Cresoll. Theatr. Rhetor. I. c. 10. III. c. 2. Herald. Animadv. p. 454. Ruhnken. Opusc. T. I. p. 156. sqq. et 158. Ex quo tempore plurimi sese in eodem campo iactarunt, qui λογογράφοι appellati sunt, nomine primum honorifico, sed postea invidioso; v. Plat. Phaedr. p. 357. C. 358. C. ibique Schol. Euthydem. p. 289. D. 305. B. et commentar. nostros p. 46. sqq. Aeschin. contra Timarch. p. 114. contr. Ctesiph. p. 563. ed. Reisk. Demosthen. de fals. legat. p. 417. *Λογογράφους τοίνυν καὶ σοφιστὰς ἀποκαλῶν τοὺς ἄλλους καὶ ὑβρίζειν πειρώμενος.* coll. Pierson. ad Moer. p. 244. Meier. et Schömann. Process. Attic. p. 707. Atque idem etiam Lysias fecisse narratur, de quo Cicero Brut. c. 12. *Nam Lysiam primo profiteri solitum artem esse dicendi; deinde quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse.* Qui locus perquam est memorabilis. Nam luculentissime ex eo apparet, Lysiam ab initio quidem artem oratoriam esse professum; deinde vero, missa

artis tradendae provincia, sese ad unam maxime scriptionem orationum forensium contulisse. Quod quidem ita factum esse posteaquam Thuriis vel Syracusis Athenas redierat, verisimiliter colligi licet ex eo, quod nulla fere earum orationum, quas aut scriptas ab eo fuisse accepimus, aut etiamnum habemus superstites, ante Olymp. XCII. 1. litteris exarata videtur, sicut apparet ex iis, quae de Lysianis orationibus, numero fere ducentis, exposita sunt in Fabricii Biblioth. Graec. Vol. II. p. 762—776. et Westermanni Histor. Eloquent. Graec. Part. II. p. 278—287. Nec vero Lysias in uno tantum genere dicendi iudiciali elaboravit, sed coluit etiam alterum illud, in quo antea vidimus Gorgiam Leontinum potissimum ducem et antesignanum extitisse. Scripsit enim λόγους ἐπιδεικτικούς et πανηγυρικούς, ut est apud Dionys. Hal. Lys. 3, 16. 28. ἐγκώμια, teste Photio. Bibl. Cod. 262. p. 488. b. et Suida; porro λόγους ἐπιταφίους, quos memorant Dionys. Rhet. VI. et Plutarch. Vit. X. Oratt. Photius l. c. λόγους ἐρωτικούς, itemque ἐπιστολὰς ἐρωτικάς, ut referunt Suidas l. c. Hermias p. 77. ed. Ast. Photius p. 488. ed. Bekker. Et epistolis quidem amatoriis fuerunt nuper qui cum Hermia statuerent etiam declamatiunculam apud Platonem p. 231. E.—234. C. Lysiae tributam annumerari oportere, quam sententiam inprimis defendit Leon. Spengel Synag. Art. p. 126. sqq. De quo tamen nobis longe videtur aliter. Nam quum quae deinde sequuntur Socratis declamationes revera orationes sint, ne Lysiae quidem declamatio alio nomine insignienda videtur. Quippe orationes conveniebat opponi orationi, non epistolae. Etsi igitur Lysiae oratio habet pueri amati alloquutionem, tamen vel sic ad similitudinem τῶν ἐρωτικῶν λόγων videtur comparata esse. Nam quominus credamus eam ab ipso Lysia profectam esse nec potius a Platone per imitationem compositam eique per speciem similitudinis attributam, multa sane sunt quae impediant. Verum istud quidem nunc in medio relinquamus; dicemus enim de ea re

loco opportuniore. Illud potius hic quaesivisse iuvabit, quo tempore Lysias orationes generis ἐπιδεικτικοῦ scribere ac divulgare occeperit. De qua re nostro quidem iudicio non multum dubitari potest. Nam Plato quum sermonem in Phaedro finxerit habitum intra Olymp. XCII. 1. et Olymp. XCIII. 2. vel 3., nisi ea in re fidem historicam plane neglexerit, sponte consequitur, ut Lysiam iam illo tempore talium orationum scriptione inclaruisse existimare debeamus. Nihilominus autem credibile est celeberrimum rhetorem in hoc quoque genere scribendi inde ab illo demum tempore potissimum elaboravisse, quo Athenis ad maiorem quandam nominis celebritatem pervenire studuerit. Nam primum quidem teste Cicerone ab initio artem potius quam scriptionem professus est; quod dubitari certe nullo modo potest quin dictum sit maxime de vita ab ipso Athenis exacta. Itaque Athenas ubi rediit, aliquamdiu rhetoris potius et eloquentiae magistri quam scriptoris partes egit. Deinde laudes Gorgiae et Antiphontis Athenis celebratae si ipsum permoverunt, ut etiam in genere dicendi demonstrativo vires suas experiretur, certe longe est verisimillimum, eum inde ab eo potissimum tempore coepisse tales orationes conscribere, quo Athenis rerum suarum sedem ac domicilium collocaverat. Accedit quod Plato ipsum vix taxaturus fuit propter orationes iam superioribus temporibus in terris exteris, hoc est, in Italia aut Sicilia, ab eo compositis. Itaque verisimile est, Lysiam quo tempore iudiciales orationes elaborare coepit, eodem etiam colere coepisse alterum orationum genus, eaque opera sibi ingenii pariter atque eloquentiae laudem comparare studuisse. Nisi forte a genere demonstrativo, utpote cum rhetoris munere coniunctiore, transiit paullatim ad alterum, in quo uno postea maxime excelluit. Quum vero in forensi genere testibus Dionys. Hal. Is. S. 20. de Demosthenis dicendi vi §. 2. 11. Cicer. Brut. 9, 12. Orat. 9. Quintil. X. 1. XII. 10, 21. aliis, maiore quadam uteretur ingenii felicitate artisque subtilitate, ut prope perfectus orator habitus

sit; fuit enim dictio eius pura et simplex, tenuis et comta, dilucida atque elegans, nec tamen exilis aut moleste arida; facile est ad suspicandum, laudes orationum iudicialium, quas scripserat, etiam ad alterius generis scriptiones, maxime ad ingenii et eloquentiae ostentationem comparatas, vulgari hominum iudicio translatas esse. Quo denique evenit, ut Lysiae fama mirum quantum celebraretur, atque rhetoricae studia tanta existerent, ut prae iis philosophia prope contemta ac neglecta iaceret. Id quod etiam ex eo intelligi licet, quod posthac complures Athenis conditae sunt scholae rhetorum, quae maximam habuere discentium frequentiam; qualis fuit etiam schola Isocratis, de qua postmodo dicetur.

Atque haec videtur fuisse rerum conditio, quo tempore Plato in patriam redux factus philosophiae docendae consilium agitavit. Videtur enim per Lysiam maxime auctum propagatumque fuisse artis oratoriae studium, ita ut ei tantum non omnia tribuerentur. Quid igitur? haec si tum fuit philosophiae et rhetoricae pugna atque contentio, nonne Platonem censebimus prudentissime ea scripsisse, quae ab ipso in Phaedro de his rebus disputata leguntur? Enimvero facile sine dubio perspexit philosophus, quantum vulgaris istius rhetoricae laudes philosophandi arti ac disciplinae officerent adeoque suo ipsius consilio, quo philosophiae praecepta tradere constituerat, adversarentur. Quocirca sapientissimo consilio non modo philosophiae fontem et originem tamquam omnis verae scientiae caussam et effectricem esse demonstravit, verum etiam rhetoricam ostendit sine illius praesidio et adiumento nihil aliud esse nisi vanam quandam et inanem opinionis captatricem, a verae scientiae laude alienissimam. Quod quidem ita instituit, ut Lysiam potissimum adortus sit, utpote Siculae, hoc est sophisticae, rhetorices alumnum, omninoque vulgaris eloquentiae magistrum et praeconem. Id enim non obscure significatur locis compluribus. Nec tamen eum hostiliter aggressus est ut forensium orationum scriptorem, sed potius carpere et vellicare constituit ut rhetorem et aucto-

rem declamationum ad ingenii et doctrinae ostentationem comparatarum. Quae res sicuti primo adspectu facile alicui mira accidat, ita omnibus rebus diligentius consideratis explicationem habet longe facillimam. Nam primum quidem philosophiae omnino eloquentia ut vana speciosae sapientiae captatrix fuit opponenda, qualis inprimis fuit panegyrica. Deinde divini amoris adumbratio et descriptio requirebat sane orationem aliquam Lysiae amatoriam, non iudicialem, qualis a primario libri argumento et consilio abhorruisset. Itaque prudentissime philosophus Lysiam ut orationum declamatoriarum scriptorem corripuit, idque etiam ideo sapienter fecisse existimandus est, quia Lysias in genere forensi vel maxime excellere putabatur. At nimirum quamvis ipsius maximae hoc in genere laudes extiterint, tamen dubitari non poterit, quin Plato eum omnino merito corripuerit et exagitaverit. Ille enim quum teste Cicerone De opt. gen. or. 3. ideo esset tenuis, quia et privatas plerasque et eas ipsas aliis et parvarum rerum caussulas scribebat ideoque se ipse consulto ad minutarum genera caussarum limabat, profecto dictio, qua utebatur, perquam accommodata erat iis, quae habebat proposita, adeoque non sine caussa egregia esse putabatur; verumtamen eadem orationibus generis demonstrativi nullo modo erat conveniens. Quippe his adhibita illa fieri non potuit quin protenus idoneis iudicibus videretur spiritu isto carere, qui unus gignit magnas celsasque animi cogitationes, omnique virtute destituta esse, quae maxime philosophiae ratione ac disciplina efficitur. Hoc igitur nec Platonem praeteriit. Ac ne alios quidem latuit, qui de hoc genere Lysianae eloquentiae commentati sunt. Nam legas quaeso Ciceron. Brut. 9. Quint. X. 1, 78. IX. 4, 17. VIII. 3, 11. Hermog. De form. p. 142. ed. Ald. = p. 381. Vol. III. ed. Walz. Dionys. Lys. §. 28. coll. 3. 16, ac facile intelliges, istos quoque omnes in ea esse sententia, ut Lysianam orationem generi dicendi vel scribendi deliberativo ac demonstrativo minus aptam fuisse arbitrentur utpote nervis ac viribus

carentem. Quod si ita est, sicuti est, facile est ad intelligendum, quo iure Plato oratorem celeberrimum, quamvis in alio genere excellentem, corripuerit et exagitaverit. Id quod parum perspexit bonus Dionysius Epist. ad Pompeium §. 12. De composit. verbor. c. 25. De admiranda vi Demosthen. §. 23. qui pro more suo cupidius in Platonem invehitur. Nec satis perspexisse videtur Caecilius Siculus, qui teste Longino De Sublim. c. 32. Hermogene p. 107. ed. Ald. et Photio p. 489. Lysiae caussam adversus Platonem defendendam suscepit. Quamquam, si verum quaerimus, Plato dum ita taxavit panegyricam Lysiae eloquentiam, simul etiam reliquam viri orationem tetigisse iudicandus est, quippe quam vidit esse utique ieiuniorem et a philosophiae robore alieniorem, quam ut magnis laudibus extolli posset. Quin etiam id omnino egisse videtur, ut totam istam τῶν λογογράφων nationem, tum fere nimis adauctam et in dies magis crescentem, acerbo sale perfricaret, ut quae quum esset mire superba et fastuosa, tamen a laude sapientiae longe esset alienissima.

Atque haec quidem iam sufficere possint ut intelligatur, non temere nos statuere, etiam ex Lysiae commemoratione orationumque ipsius censura colligi posse existimantes, Phaedrum a Platone post reditum in patriam, quo tempore in Academia tradere philosophiam constituerat, litteris consignatum esse. Nec tamen iam continuo ab huius argumenti tractatione discedere nobis licet, quandoquidem supersunt quae accuratiore disputatione haudquaquam indigna sint, quo vel controversiae, quae nobis moveri queant, tollantur, vel etiam sermoni Platonis aliquid novae lucis admoveatur. Possit enim utique aliquis dubitare de ea, quam probamus, ratione propterea, quod Plato, si ista aetate haec scripsit, fecerit iniustissime, quippe qui in eum virum acrius sit invectus, qui non modo egregiis quibusdam virtutibus excelluerit, verum etiam tum ad grandiorem aetatem verecundia dignam pervenerit. Habuit enim Lysias, si Phaedrum Olymp. XCVIII. in. s. a. 388. vel 387. a. Chr. n. scriptum puta-

mus, iam annos septuaginta unum. Quocirca quaerat sane quispiam, quid tandem attinuerit rhetorem iam adeo senem factum istis dicteriis lacessere tamque acerbe perstringere? Ad quae sane habere videmur, quae non inepte respondeamus. Etenim primum quidem ipse Lysias etiam tum magna floruisse videtur auctoritate, quippe qui ad grandem usque senectutem vixerit. Decessit enim, ut videtur, Olymp. C. 3. = 378. a. Chr. n., de quo v. Hoelscher Vit. Lys. p. 28. Deinde illo quoque tempore sine dubio non pauci fuerunt, qui artem eius rationemque aestimarent plurimi vehementerque admirarentur. Id quod Plato non obscure exemplo Phaedri Myrrhinusii declaravit; quin etiam eo patefecit, quod omnem omnino illorum temporum rhetoricam, acerbiore censura instituta, tamquam artem mero usu collectam rectaque ratione carentem perstrinxit atque castigavit. Itaque videtur profecto philosophus eos potissimum carpere et reprehendere voluisse, qui vanae rhetoricae omnia tribuentes philosophiae studiis plurimum officere viderentur. Quod si ita est, non est quod Platonem miremur in Lysiam, quamvis illo tempore iam seniorem, gravius esse invectum. Nec vero sine caussa idonea factum est, quod p. 278. E. sqq. Lysiae opponitur Isocrates, Lysia annis fere viginti duobus minor. Natus enim Isocrates est Olymp. CXXXVI. 1. archonte Lysimacho, de qua re ex Dionysio, Plutarcho, Photio, aliisque constat. De quo quod Socrates optima quaeque auguratur tamquam iuvene, quum tamen, si Phaedrus eo, quod supra posuimus, tempore scriptus est, iam aetatem habuerit annorum fere quadraginta novem, meminisse debemus, quo tempore colloquium habitum fingatur. Quippe Plato ipse de Isocrate ista scripsit seniore, ut testatur auctor harum rerum locupletissimus, Cicero, qui in Oratore c. 13. §. 41. posteaquam Socratis apud Platonem de Isocrate iudicium commemoravit, haec addit: „*Haec*, inquit, *de adolescente Socrates auguratur. At ea de seniore scribit Plato, et scribit aequalis, et quidem exagitator*

omnium rhetorum; hunc miratur unum." Ubi quod Isocrates dicitur, quo tempore Plato ista de eo scripserit, iam fuisse *senior*, convenit hoc cum nostra ratione prorsus egregie. Nam teste *Varrone* apud *Censorinum* De die natali c. 15. *seniores* vocitati sunt, qui erant *in quarto aetatis gradu* (inde ab anno XLV. aetatis) *ad usque sexagesimum annum*, quod tunc primum corpus visum est senescere incipere; inde vero usque ad finem vitae *senes* sunt appellati, quod ea aetate corpus iam senio laborare iudicaverunt. Itaque illo auctore *seniorem esse* minus, *senem esse* maius est; quamquam non negligendum, *senem* interdum etiam pro *seniore* usurpari; apparetque sponte, qui fieri potuerit, ut corruptae linguae Latinae aetate inde a Caroli Magni potissimum temporibus *senior* significaret *dominum;* unde is hodie quoque Italis *Signore*, Gallis *Seigneur*, Hispanis *Sennor* vocatur; v. Io. Casp. Gevart. Stat. Lect. I. 10. Verum hoc tamquam in transcursu. Redimus ad propositum. Rectissime igitur Cicero de Isocrate *seniore* apud Platonem statuit sermonem esse. Neque ille a recto aberravit in eo, quod Platonem illi aequalem fuisse scribit. Agebat enim Plato, quo tempore Phaedrum ex nostra ratione composuit, annum aetatis fere quadragesimum secundum, utpote natus Olymp. CXXXVII. 3. hoc est, a. 429. ante Chr. n., ideoque Isocrate sex fere annis minor erat. Id quod rursus mirabiliter congruit cum testimonio Diogen. Laërt. III, 2. et Auctor. Anon. Vitae Platon. apud Heeren. p. 9. qui iisdem verbis: *Ἔστιν οὖν Ἰσοκράτους νεώτερος ἔτεσιν ἕξ.* Itaque temporum rationes apparet tam certas exploratasque haberi, ut de iis nulla controversia moveri queat. Sed dubitari sane poterit magnopere, quidnam tandem sit, quod Plato haec de seniore Isocrate tamquam adolescente vaticinatus sit; quod quidem Schleiermachero Prooem. ad Phaedr. p. 73. tam vehementer displicuit, ut eam rem omnino deridiculam indicaverit esse. Nimirum nobis quidem omnia videntur facillime expediri posse, dummodo quaenam inter Isocratem et

Platonem intercesserit necessitudo, accuratius perpenderimus. Enimvero philosophus quum omnium rhetorum, ut ait Cicero, exagitator extitisset, tamen Isocratem eum iudicavit esse, cui vel maxime parcendum esset. Quippe hic etsi egit idem, quod ceteris fere omnibus fuit propositum, ut et orationes scriberet aliis, et artem professus plurimos ad dicendi scribendique facultatem institueret maxima affluente discipulorum turba (v. Cicer. Brut. c. 12. et 56. Orator. c. 13. De orator. II. c. 22.); tamen ea in re longe aliud quid sequutus est quam Lysias eiusque assectatores. Nam primum quidem non alienus erat a philosophia. Id quod vel superstites eius orationes loquuntur, in quibus etsi comtum nitidumque dicendi genus regnat, quod quoniam orator in deligendis nominibus, in fingendis verbis et commatibus, in formandis periodis, denique in adhibendis figuris oratoriis ad superstitionem usque curiosus fuisse reperitur, idoneis iudicibus non omni ex parte probatum est, adeoque ieiuna quaedam dominatur sententiarum simplicitas a philosophiae vel subtilitate vel sublimitate alienior; tamen sapientiae ex philosophia, maxime Socratica et Platonica, ductae tam luculenta ubique cernuntur vestigia, ut fere philosophi alicuius voces audire videaris, sicut ostendit Orellius Excurs. ad oration. de antidosi p. 301. sqq. Deinde ille studia quoque et consilia sua ita temperavit ac moderatus est, ut in his quoque philosophi personam sustinuisse iure meritoque dici possit. Contulit enim omnem eloquentiae vim maxime eo, ut prisca Athenarum gloria atque virtus quantum fieri posset salva et incolumis conservaretur. Quod qua ratione efficere conatus sit, nemini poterit esse obscurum, qui opera ipsius vel leviter attigerit et quasi fugitivis oculis perstrinxerit. Admirabili enim animi constantia iudiciique firmitate Graecis usque temperantiam et moderationem suadet; pacem et concordiam commendat; sapientiam et prudentiam laudat; denique patriae communis felicitatem ob oculos ponit, quam ita demum ostendit vel firmatum vel restitutum iri, si immoderatarum cupiditatum vi repressa partium-

que malarum studiis sublatis in commune consulatur omniaque boni publici caussa suscipiantur atque gerantur. Quam ob rem etiam Dionysius Isocr. iudic. c. 4. verissime arbitratur omnes eius orationes certo niti iustitiae fundamento atque hoc sibi habere proprium, quod in iis ubique ardentissimum eluceat veritatis studium. Hae autem quum viri laudes fuerint atque virtutes, quis est quin videat, quae caussae Platonem permovere potuerint, ut in eodem opere, in quo rhetores exagitat acerrime, de illo tamen honorificentissimum faceret iudicium? Sed accedit ad haec etiam aliud quid. Stetit enim Isocrates iuxta cum Platone a partibus optimatium, quum Lysiam aliosque multos compertum habeatur democratiae favisse. Quod quantum censebimus apud Platonem momenti fecisse ad benevolentiam erga Isocratem testificandam, quum ille populare imperitum, sicuti ex Politico p. 297., B. = 300. E. Rep. VIII. p. 557., A. = 558. C. VI. p. 493. A. sqq. aliis locis multis constat, non modo maximo odio habuerit, verum etiam tamquam communi saluti perniciosissimum abominatus sit? Quin etiam inter philosophum atque oratorem nobilissimum aliquid familiaritatis et amicitiae intercessisse videtur. Certe quidem Diogenes Laërt. III. 8. *ὁ δ' οὖν φιλόσοφος καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν. καὶ αὐτῶν Πραξιφάφης συνέγραφε διατριβήν τινα περὶ ποιητῶν γενομένην ἐν ἀγρῷ παρὰ Πλάτωνι ἐπιξενωθέντος τοῦ Ἰσοκράτους.* Ac Socrati quoque familiarem fuisse Isocratem praeter alios narrat Scriptor incerti nominis in Vita Isocratis p. VIII. ed. Dind. Quocirca nec ulla ex parte vera videntur esse, quae de simultate inter Platonem et Isocratem postea temporis exorta nuper disputaverunt Sauppius in Zimmermanni Museo Studior. Antiquitt. a. 1835. n. 50. p. 407. sqq. et Stahrius in Ann. litter. Halenss. *(Hallische Jahrbücher)* a. 1838. p. 2078., quos bene iam refellerunt Groen van Prinsterer Prosopograph. Platon. p. 117. et Car. Fr. Hermannus Histor. philosoph. Platon. Vol. I. p. 123. annot. 181. et p. 567. Imo verisimillimum est

Platonem semper mansisse Isocrati benevolum et amicum, neque ullo unquam tempore suum de eo iudicium retractavisse. Vaticinium autem Socratis de Isocrate tantum abest ut nobis ineptum aut insipidum videatur, quale Schleiermachero visum est, ut Platonem existimemus in eo fingendo longe sollertissime versatum esse. Quippe philosophus Isocratem quum nollet laudare rusticius, scenographiae convenienter eum iuvenem esse iussit, de quo Socrates salvo loquentis pudore per speciem veritatis optima quaeque augurari posset. In quo quid inepti aut insulsi insit, me quidem fateor nullo modo intelligere posse.

Verum satis haec. Videmur enim iam satis demonstravisse, quod nobis voluimus, tempora scripti sermonis, si quaerantur diligentius, non posse dubitari, quin ille probabiliter statim post reditum Platonis initio fere Olympiadis XCVIII. litteris exaratus sit. Quam rationem etiam eo confirmare licebit, quod Symposium, etsi illud propter mentionem fortunae Mantineensium p. 193. A. iniectam ante Olymp. XCVIII. 3. scribi vel evulgari nullo modo potuit, tamen non multo post prodiisse in lucem videtur. Arguit autem ipsum argumentum utriusque operis, Phaedrum cum Symposio cohaerere arctissime, ita quidem, ut ille prius quam hoc scriptus fuisse putari debeat. Ex quo quid consequatur, non est quod copiosiore oratione exponamus. Apparet enim exinde, Phaedrum circiter intra annum Olymp. XCVIII. primum ac tertium litteris mandatum esse.

Atque his ita expositis satis iam constare arbitramur, quid caussae sit, cur de ortu ac tempore natali Phaedri Platonici aliter sentiamus, quam vulgo viris doctis et antiqua aetate et nostris temporibus visum est. Quamquam certius etiam haec nostra confirmabitur opinio, ubi adhuc demonstratum fuerit, caussas et rationes, quibus vulgaris nititur sententia, parum certas atque idoneas esse. Verum hoc quoniam longiorem sibi postulat disputationem quam quae huius libelli concludatur angustiis, eam rem in aliud tempus reiicere consultum duximus.